

THE DEATH OF ROMULUS (C. 717 B.C.) (1.15.6 – 1.16.8)

1 Haec ferme Romulo regnante domi militiaeque gesta, quorum nihil absonum  
2 fidei divinae originis divinitatisque post mortem creditae fuit, non animus in  
3 regno avito recipiendo, non condendae urbis consilium, non bello ac pace  
4 firmandae. Ab illo enim profecto viribus datis tantum valuit ut in  
5 quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. Multitudini tamen gratior  
6 fuit quam patribus, longe ante alios acceptissimus militum animis;  
7 trecentosque armatos ad custodiam corporis quos Celeres appellavit non in  
8 bello solum sed etiam in pace habuit.

9 His immortalibus editis operibus cum ad exercitum recensendum contionem  
10 in campo ad Caprae paludem haberet, subito coorta tempestas cum magno  
11 fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo ut conspectum eius  
12 contioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. Romana pubes sedato  
13 tandem pavore postquam ex tam turbido die serena et tranquilla lux rediit,  
14 ubi vacuum sedem regiam vidit, etsi satis credebat patribus qui proximi  
15 steterant sublimem raptum procella, tamen velut orbitatis metu icta maestum  
16 aliquamdiu silentium obtinuit. Deinde a paucis initio facto, deum deo natum,  
17 regem parentemque urbis Romanae salvare universi Romulum iubent;  
18 pacem precibus exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet  
19 progeniem. Fuisse credo tum quoque aliquos qui discerptum regem patrum  
20 manibus taciti arguerent; manavit enim haec quoque sed perobscura fama;  
21 illam alteram admiratio viri et pavor praesens nobilitavit. Et consilio etiam  
22 unius hominis addita rei dicitur fides. Namque Proculus Iulius, sollicita  
23 civitate desiderio regis et infensa patribus, gravis, ut traditur, quamvis  
24 magnae rei auctor in contionem prodit. "Romulus" inquit, "Quirites, parens

25 urbis huius, prima hodierna luce caelo repente delapsus se mihi obvium  
26 dedit. Cum perfusus horrore venerabundusque adstissem petens precibus ut  
27 contra intueri fas esset, 'Abi, nuntia' inquit 'Romanis, caelestes ita velle ut  
28 mea Roma caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant sciantque  
29 et ita posteris tradant nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.'  
30 Haec" inquit "locutus sublimis abiit." Mirum quantum illi viro nuntianti haec  
31 fides fuerit, quamque desiderium Romuli apud plebem exercitumque facta  
32 fide immortalitatis lenitum sit.